

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2777

**Auteur(s) :** Guillaume de Tournebu, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

**Bénéficiaire(s) :** Robert de Torigni, Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1165

**Lieu d'émission :** Bayeux Le Mont-Saint-Michel

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Accord entre l'abbé Robert et le sous-doyen de l'église de Bayeux, au sujet des dîmes d'Albrey, à Evrecy — Janvier et mai 1165.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Chronique de Robert de Torigni, abbé du Mont-Saint-Michel : suivie de divers opuscules historiques de cet auteur et de plusieurs religieux de la même abbaye*, le tout publié d'après les manuscrits originaux, Rouen, Le Brument, 1872-1873, 2 vol., t. 2, « Lettres, chartes et pièces diverses de l'administration de Robert de Torigni », n° XIII, p. 273-275.

Texte établi d'après a

Willelmus Baiocensis ecclesie decanus et ejusdem ecclesie conventus canonicorum, omnibus sancte matris ecclesie filiis, in Christo salutem. Notum vobis fieri volumus quod, cum diutius agitata esset controversia inter Robertum de Thorigneio, abbatem Sancti Michaelis de periculo maris, et Robertum de Mestemon, subdecanum ecclesie nostre, super quibusdam decimis de territorio de Alebraio, quas abbas ad monasterium suum subdecanus vero ad jus prebende sue dicebat pertinere, in hunc modum facta est inter eos compositio : subdecanus siquidem vel quivis alius qui post eum habiturus est prebendam de Alebraio non dabit decimas de tota terra, videlicet de quinque acris et dimidia et dimidia virgata, que nunc ibi continentur intra fossata que claudunt masuagium suum, videlicet curtem suam, et novum virgultum et vetus vineam, quocumque modo terra illa excolatur. De instauramentis etiam suis sive nutrimentis non dabit decimas, neque de lana, neque caseis, neque omnino de aliquibus que sint sua propria, sive habeat ea penes se infra curtem suam, sive extra in territorio illius prebende. Si autem subdecanus terram illam clausam fossatis totam vel pro parte concesserit alicui excolendam, sive vero ibi constituat domicilium, sive ad tempus habitationem, sive neutrum, habebit ipse subdecanus omnes decimas de terra ; de animalibus vero que non erunt propria subdecani, etiam si ibi demorentur, habebit abbas decimas. De tota etiam terra prebende que nunc est extra predicta fossata, et de omnibus aliis, sive pecudibus sive pomis sive lana sive ceteris de quibus solvuntur decime, habebit abbas universas decimas ; et etiam si subdecanus, vel alius qui post eum habiturus est eam prebendam, de terra que nunc est extra fossata que nunc sunt, augmentaverit masuagium suum, de illo augmento habebit abbas omnes decimas. Subdecanus etiam a monachis habebit singulis annis XX solidos Andegavensis monete vel Rothomagensis, vel eque valentis, si preter has duas contigerit aliam currere in Normannia, antequam permittat servientem abbatis colligere decimas frugum vel deferre de terra sua. Hec autem compositio inita fuit sub pacto facto in rem non in personam, ut in perpetuum teneat[ur] inter quemlibet abbatem et monachos predicti loci et

quemlibet canonicum de Alebraio. Prolocutum est hoc et concessum Baiocis in capitulo ante altare beati Petri, post majorem missam, III<sup>o</sup> nonas Januarii, et postea confirmatum in capitulo Beati Michaelis de periculo maris, VII idus Maii, sicut carta ejusdem capituli quam subdecanus habet de eadem actione testatur, anno ab incarnatione Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LXV, presidente universali catholice ecclesie Alexandro papa III, regnante Henrico glorioso rege Anglorum et duce Normannorum et Aquitanorum et comite Andegavorum, presentibus istis, ex parte nostra : me Willelmo decano, magistro Hunfredo Bove, Patricio archidiacono, Rogerio archidiacono, Thoma archidiacono, Galler[anno] archidiacono, Guillelmo custode, Ricardo succentore, Guillelmo de Brolio, magistro Herberto, Ricardo de Ros, Bartholomeo, Helia de Sancto Georgio ; ex parte monachorum : Roberto abbate, Radulfo de Foleherio ballivo monasterii, Guillelmo de Salesberia capellano, Raginaldo de Sancto Johanne, Boselino sacerdote, Michaele clerico, Graver[endo] de Ebreceio, Ruallendo de Genet, Bosone de Sancto Laudo, Ricardo de Bosco.